



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

§. 3. De iure communi canonico.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

extra urbem non solet in propria persona interesse Concilij.

Soli Episcopi in Concilij sententiam decisivam <sup>10</sup> dicunt, iure proprio & ordinario : sed ex privilegio & consuetudine etiam alijs Ecclesiasticis , non item laicis (ne quidem Imperatori ) personis competere solet , iuxta illud *Joan. 20.* Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Quare cum omnes fideles ad Concilium venire possibile , aut conveniens non sit , eorundem capita vicem omnium representant.

### §. III.

#### *De Iure Communi Canonico.*

**I**us Commune Canonicum , quatenus in Scholis <sup>11</sup> traditur, 5. partes complectitur. 1. Decretum Gratiani Monachi Benedictini , ex Sacrae Scripturae sententiis , Conciliorum & Pontificum Decretis, Romanorum Imperatorum Legibus , & Patrum dictis compilatum. 2. Quinque libros Decretalium. 3. Sextum Decretalium 4. Clementinas. 5. Et Extravagantes constitutiones.

Opus Gratiani hactenus à nullo pontifice appro- <sup>12</sup> batum est, quomobrem quæ in eo adducuntur capitula, singula ad suam originem reuocanda sunt, vt appareat, quantam auctoritatem mereantur.

NB Licet Gratiani & S. Patrum Dicta nullam per se auctoritatem iuris habeant, (cum in iure condendo, non sola scientia, sed magis etiam potestas necessaria sit, iuxta c. 1. dist. 20. ) tamen consuetudo obtinuit, vt in externo foro etiam illa ad causarum decisionem inseruiant.

Quinque libri decretalium sunt variorum Pontificum rescripta, à Gregorio, Nono congesta.

Sextus decretalium à Bonifacio VIII. ex diuersorum Pontificum responsis compilatus est.

Clementinæ sunt constitutiones Clementis V.

Extrauagantis sic dictæ constitutiones Ioannis XXII. aliorumque Pontificum, quæ antea extra Corpus iuris Canonici, quasi incerta sede vagabundæ, postea in Ordinem iuris redactæ sunt. His annu-mera Canones & Decreta Conciliorum generalium, Bullas variorum Pontificum, & Constitutiones extrauagantes, quæ necdum in commune Corpus iuris insertæ sunt.

13 Epistolæ & Responsa Pontificis legum vniuersalium vim obtinent, idcirco vbique allegari possunt, etiamsi ad particulares Ecclesias scribantur, nisi ex speciali causa, loco, tempore, &c. prodierint: tunc enim ad alias causas transferri non possunt.

Definitiones seu decreta fidei discernenda sunt à decretis morum, quæ sunt Propriè dictæ *leges*. Nam Ecclesiasticæ definitiones, siue Canones fidei ita infallibilem veritatem habent, vt nullo posteriore Concilio, vel Pontificia autoritate mutari, aut reuocari possint. Morum verò decreta siue Canones pro temporum, aliarumque circumstantiarum varietate abrogari, derogari, vel desuetudine aboleri nihil prohibet.

#### C A P. VII.

*De particularibus Ecclesiasticis Legislatoribus, eorumque Iurisdictione.*

**E**cclesiasticas leges non ad vniuersam Ecclesiam, sed ad proprios subditos ferre possunt Concilia parti-